



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De operibus ex charitate factis. 15

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

stare, quādo res pro eorum velle fiunt,  
& sentire. Si autem aliter fit quā cupiunt, citò mouentur & tristes fiunt.  
Propter diuersitatem sensuum & opi- *Mat. 12.*  
nionum, satis frequenter oriuntur dis- *Luc. 12.*  
sensiones, inter amicos & ciues, inter  
religiosos & deuotos.

3 Antiqua consuetudo difficulter re- *Ier. 23.*  
linquitur: & ultra proprium videre,  
nemo libenter ducitur. Si rationi tuæ  
magis inniteris vel industriæ, quā vir-  
tuti subiectiæ Iesu Christi, rarò & tar-  
dè eris homo illuminatus; quia Deus  
vult nos sibi perfectè subiici, & om-  
nem rationem per inflammatum a-  
morem transcendere.

## CAP. XV.

*De operibus ex charitate factis.*

1 PRO nulla re mundi, & pro nul- *Mat. 18.*  
lius hominis dilectione, aliquod  
malum est faciendum: sed pro utilita-  
te tamen indigentis, opus bonum libe-  
rè aliquando intermittendum est, aut  
etiam pro meliori mutandum. Hoc  
enim factò, opus bonum non destrui-  
tur, sed in melius commutatur. Sine *I. Cor.*  
cha- *13.*

charitate, opus externū nihil prodest: quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam paruum sit & despectum, totum fructuosum efficitur. Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit, quā quantum facit. Multum facit, qui multum diligit.

*Luc. 7.*

2 Multum facit, qui rem benè facit.

*Phil. 2.*

2. Benè facit, qui magis communitati, quā suę voluntati seruit. Sæpè videtur esse charitas, & est magis carnalitas: quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis, rarò abesse volunt.

*Phil. 2.*

3 Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re se ipsum quærit; sed DE I solummodo gloriam, in omnibus fieri desiderat. Nulli etiam invidet, quia nullum priuatum gaudium

*Cor. 13.*

amat; nec in seipso vult gaudere, sed in

*Pf. 17.*

Deo, super omnia bona, optat beatificari. Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deū refert, à quo finaliter omnia procedūt, in quo finaliter omnes Sancti fruibiliter quiescunt. O qui scintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena sentiret esse plena vanitatis.

*Cor. 13.*

C A P.